

tialis hujus propositionis: *Cicero* est conceptus in peccato originali, est illius existentia; ergo.

*Ante Responsonem suppono* revelationes universales de subjecto complexo, h. e., ut affecto aliqua circumstantia, maxime quæ ad prædicatum conducit, esse *conditionatas*; quales sunt: homo vere contritus justificatur; omnis hostia consecrata continet Corpus Christi; omnis homo ex *Adamo* descendens etc.: has vero propositiones tantum *formaliter conditionate* continere singularia, v. g. si hic homo est vere contritus, justificatur; si hæc hostia est vere consecrata etc. Ratio est, quia locutio conditionata est, quæ aliquid enuntiat dependenter a circumstantia quam non enuntiat: sic autem habere illas revelationes universales, liquet 1º. quia hæc propositiones etiam extenduntur ad individua, quæ absolute et reipsa non afficiuntur tali circumstantia; cum vi primæ revelationis vera sit hæc conditionalis: si *Judas* vere fuisset contritus, fuisset justificatus: 2º. quia Deus non habet intentionem manifestandi, talem circumstantiam absolute convenire huic et illi individuo; cum frequenter sit impertinens ad fidem Catholicam aut necessariam vel utilem: 3º. quia alias negans illam circumstantiam de particulari individuo satis notam, peccaret contra fidem. Quamvis vero purificata conditione propositio conditionata solet fieri absoluta, et hinc etiam particularis, quæ purificatam conditionem involvit, contineatur sub universali conditionata, atque sic ob hanc revelatam illa etiam fide credibilis fiat; tamen id imprimis saltem *quoad nos* non fit, nisi post certam cognitionem de purificatione conditionis. Deinde particularis est de fide duntaxat ex suppositione: denique illa quoad omnes suas partes scilicet subjectum seu conditionem non est de fide, sed tantum quoad prædicatum seu conditionatum; eo quod quamvis locutio et revelatio ejusmodi compleatur ac integretur, sicut votum aut promissio, per conditionem positam; tamen hæc positio seu purificatio conditionis dicta et revelata non fuit: quod autem revelatum non est, credi nequit. Jam

R. N. A. Quia, supposita *Ciceronis* existentia et descensu ex *Adamo* ejusque certa cognitione, nobis absolute credibilis est ejus conceptio in peccato originali. *Ad prob. N. M.* Quia hæc existentia non est revelata, sed solum naturaliter cognita. *Ad ejus prob. D. M.* Revelato sine ulla conditione toto, eoque quidditative et quoad omnes partes, etiam revelatur ejus pars essentialis, C. revelato sub conditione toto denominative tantum et quoad aliquam ejus partem *subd.* Revelatur etiam pars essentialis, quæ se habet per modum conditionati C. quæ se habet per modum conditionis N. Propositio particularis in has duas resolvitur: *Cicero* existit descenditque ex *Adamo*; et fuit conceptus in peccato originali. Cum igitur propositio universalis, quod omnes ex *Adamo* descendentes peccaverint, sit conditionata, vi illius non fuit revelata prima propositio exponens, sed tantum secunda ex supposito existentie et descensus.

*Inst. 4.* Juxta probabilem, per omnem actum fidei etiam creditur ipsa revelationis existentia et non tantum supponi prævie potest, illam existere; ergo etiam in hoc actu fidei: *Cicero* fuit conceptus in peccato originali; *Ciceronis* existentia et descensus ex *Adamo* non tantum prævie supponi, sed de fide credi debet: quod tamen, cum non sit revelata ejus existentia, fieri nequit,

R. N. *Cons. Disparitas est*, quia ex sententiæ illius principiis revelatio se ipsam exercite revelat, et hinc non est tantum conditio, sed objectum formale quod actus fidei, unde per eum et affirmatur et creditur: e contra existentia *Ciceronis* per revelationem propositionis non revelatur nec dicitur, sed solum attingitur per modum conditionis; unde fide divina credens, *Ciceronem* conceptum fuisse in peccato originali, non credit, sed quantum attinet ad objectum materiale hujus fidei, supponit ex parte subjecti *Ciceronem* extitisse et fuisse conceptum: ac si diceret: *Cicero*, conceptus et descendens naturali generatione ex *Adamo*, contraxit peccatum originale.

*Inst. 5.* In propositione particulari de tertio adjacente in materia contingente et prædicatione actualis denominationis, qualis est illa de *Cicerone*, affirmatur subjecti existentia; ergo si creditur ejusmodi propositio, debet credi subjecti existentia; sicut dum de fide est canem *Tobiæ* præcucurrisse, de fide etiam est eum extitisse.

R. D. *Cons.* Ergo si creditur absolute et sine facta suppositione, seu excludendo etiam conditionem illam implicitam universali propositioni intrinsecam, debet etiam etc. C. siquidem absolute creditur, non tamen cum illa exclusionem aut sine suppositione declarata N.

*Ad prob. Disparitas est*, quia illa de cane *Tobiæ* est revelata immediate in seipsa et in particulari, absolutissime etiam et ex integro tam quoad subjectum quam prædicatum: alia de *Cicerone* est revelata mediate ac in alia quoad modum significandi, eaque universali ac conditionata, adeoque non absolutissime, ex integro et etiam quoad subjectum; unde patet illam revelatam esse tam quoad secundum quam quoad tertium adjacens: hæc vero duntaxat est revelata quoad tertium adjacens et quidem ex supposito secundi adjacentis.

68. *Obj. contra 2<sup>am</sup>.* Potest dari fides theologica infirma ac imperfecta, ut patet in Petro, cui dixit Christus Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* in patre Energumeni, qui Marc. 9. exclamavit: *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.* In quem locum S. Chrysost. *Si credit, inquit, quomodo dicit: adjuva incredulitatem meam? dicamus igitur quod multiplex est fides, introductoria scilicet, et perfecta.* Sed talis dici potest fides, quæ conjungitur cum probabili solum cognitione revelationis divinæ; ergo.

R. D. M. Potest dari infirma et imperfecta fides theologica naturalis C. supernaturalis *subd.* infirma et imperfecta ex defectu motivi formalis et modi tendendi in illud propter formidinem prudentem N. ex defectu sufficientis affectionis voluntatis aut fiduciæ fidem subsequens, aut propter formidinem indeliberatam C. Atque hoc ipsum constat ex testimoniis allatis: nam *Petri* fides primum supernaturalis erat, sed infirma ob deficientem postea fiduciam; dein vero solum naturalis erat quando dubitabat, de quo audiendus est S. Aug. Serm. 14. de Verbis Dom. (al. in append. 72. n. 5.). *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit; sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. Non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Cf. dicta n. 60. In quonam *incredulitas* alterius fuerit, ostendunt verba ipsius priora, dum ait: *Dixi Discipulis tuis, ut ejicerent spiritum mutum, et non potuerunt.... sed si quid potes, adjuva nos.* Itaque fides ejus perfecta et bona fuit in eo quod Deo et in eum credenti omnia possibilia sint; quam Chri-

stus antècedenter ab illo postulabat : *incredulitas* autem adjuvanda versabatur in eo quod cum Apostolos invocato nomine Jesu nihil profecisse advertisset, de ipsius etiam potestate ac divinitate dubitaret, atque hinc ejus fides non quoad objectum formale et firmitudinem, sed quoad objectum materiale deficeret; atque hinc etiam requisita ad miraculum confidentia careret. In hunc sensum exponenda est fides, quæ a S. CHRYS. vocatur *introductoria*, cui scilicet opponitur *perfecta* tam secundum objectum formale ac materiale, quam secundum effectum fiduciæ et voluntatis affectionem efficacem.

*Inst. 1.* Etsi amor Dei supernaturalis debeat esse super omnia, tamen non excludit amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et stare potest cum peccato veniali; ergo etsi etiam fides debeat esse super omnia, tamen non excludit omnem formidinem de opposito, et sic stare potest cum notitia probabilis de revelationis existentia. *Conf.* Assensus fidei cum probabili tantum notitia non foret supernaturalis, quia esset falsus: sed talis assensus quandoque posset esse verus; ergo tum saltem posset esse supernaturalis.

R. D. A. Amor supernaturalis Dei super omnia non excludit a suo actu amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et in eodem potest stare peccatum veniale. N. non excludit a subjecto amorem delectabilis, et sic peccatum veniale simul in eodem subjecto stare potest C. Si actus amoris esset simul actus *leviter peccaminosus* non posset esse supernaturalis, utpote quem honestum ex omni parte oportet esse: quamvis verò ex dict. n. 36. peccatum veniale non impediatur, ne possit elici amor Dei super omnia; tamen id de fide supernaturali non tenet: utpote quæ habet modum tendendi in utrumque suum objectum firmissimum, qui talis esse nequiret, stante de revelationis existentia per alium etiam actum formidine.

*Ad Conf. R. N. Caus. Maj.* Ideo enim a priori non est supernaturalis, quia non provenit ab habitu vel lumine fidei supernaturali, et consequenter non habet modum tendendi proprium actui fidei supernaturalis. Hoc verò non tantum contingit, dum actus reipsa est falsus, sed et etiam dum cum formidine elicitur, aut in certitudine de revelationis existentia non fundatur.

*Inst. 2.* Ad hoc ut voluntas possit prudenter imperare actus *aliarum virtutum*, sufficit, quod probabiliter detur earum objectum; ergo etiam ad hoc, ut prudenter eliciatur actus fidei supernaturalis, sufficit probabiliter dari ejus objectum.

R. N. *Cons. Disparitas est*, quia actus *aliarum virtutum* sunt piæ affectiones voluntatis, ad quas quamvis requiratur, ut iudicium proximum, quo judicamus aliquid in his vel illis circumstantiis esse honestum aut licitum, semper debeat esse certum, tamen iudicium speculative, quo res aliqua iudicatur in se honesta aut ita esse, quoque remote dirigitur voluntas et operatio, potest esse probabile tantum; tum quia sæpius ad certitudinem speculative pertingere non possumus, et si ad operationem virtutis necessaria semper foret, multi actus virtutum deberent omitti, v. g. elemosyna pauperibus præbenda; honor parentibus pendendus; adoratio hostiæ præstanda etc.: tum quia voluntatis operatio recta, bona, et honesta est, quatenus est conformis dictamini rectæ rationis, quod in iudicio practico et proximo certo residet, quodque hac ratione potest facere, ut sit honestum et licitum, quod reipsa

non est. E contra *actus fidei* est actus intellectus, cujus objectum est verum, et firmissimum: jam vero iudicium probabile de revelationis existentia nequit facere, ut aliquid non revelatum reipsa sit revelatum, ac consequenter credibile; neque etiam prudenter imperare intellectui, ut firmissime assentiatur dari objectum fidei ac revelationem.

*Inst. 3.* Quamvis habeatur tantum probabilitas de existentia revelationis, voluntas tamen præstare potest, ut intellectus eliciat actum firmissimum: nam damnata est ab INNOC. XI. prop. 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; ergo.

N. A. *Ad prob. R.* Sensum *propositionis damnatæ* esse hunc; quod voluntas non possit efficere vi sui imperii, ut assensus fidei supernaturalis nixus motivo intrinseco fidei, h. e. divina auctoritate revelante, habeat majorem firmitatem intellectualem et adhæSIONIS, seu majorem certitudinem, quam mereantur rationes extrinsecæ, seu signa credibilitatis et Ecclesiæ auctoritas, quæ tantum pariunt certitudinem cum falsitate absolute adhuc possibilem: unde fieret assensus fidei supernaturalem non esse infallibiliter verum; contra ac CONC. TRID. Sess. 6. c. 9. enuntiatur. Ex quo liquet damnationem minime ad nostram questionem pertinere.

*Inst. 4.* Si credi nequit, de quo tantum probabiliter constat esse revelationem; ergo infidelis, cui mysteria fidei nostræ præ suis erroribus tantum probabiliter videntur revelata, non tenetur credere: sed ab eodem Pontifice damnata est hæc prop. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*; ergo.

R. D. *min.* Non excusatur ab infidelitate per hoc, quod non statim et cum probabili tantum notitia revelationis credat N. quod alia non faciat, ad quæ ex notitia revelationis accepta tenetur C. Infidelis in hoc casu nec tenetur, nec potest credere, ut ex n. 59. patet; quia tamen homini ejusmodi lux aliqua affulget de vera fide, quæ est medium omnino necessarium ad salutem, tenetur diligenter inquirere et media ad eam obtinendam adhibere, quibus adhibitis Deus illi non deerit, perducetque ad notitiam sufficienter certam de revelatione. Quare hæc omittens peccat *in materia fidei*, non quia non credit, sed quia veritatem non inquirat, ut deberet; cum in materia virtutis non solum committatur peccatum tunc, quando quis, sufficiente habita præcepti notitia, illud violat, sed et dum vincibiliter seu culpabiliter id ignorat; et e contra qui hanc diligentiam præstat, excusatur ab infidelitate, eo quod impleat præceptum fidei jubentis eo in casu melius inquirere veritatem; non autem quia sequitur opinionem *minus probabilem*, quam habet de sua secta, quod unum in hac propositione damnatum fuit; eo quod nunquam liceat sequi opinionem minus probabilem, ubi datur lex, consuetudo, vel conventio de sequenda probabili, aut ubi periculum gravis damni imminet, quod evitare non pendet ab opinionis probabilitate.

*Inst. 5.* Potest credi Christi præsentia in hac numero hostia; tum quia scandalosum esset dicere, non esse *de fide* in hac numero hostia populi adorationi exposita non esse Christum: tum quia ex *Ceremoniali Romano* aliisque Diocesanis Sacerdos viaticum administrans dicere jubetur: *Credis, frater, hoc esse Corpus D. N. J. C., et infirmus respondere: Credo.* Ergo, cum probabiliter tantum constet hanc hostiam rite consecratam esse,

sufficit probabilis notitia de formali continentia particularis in universali revelata.

R. N. A. vel D. Potest credi actu fidei implicite conditionato, si nempe hostia vere sit consecrata C. actu fidei absoluto *subd.* relate ad hostiam ut sic vere consecratam C. relate ad hanc numero hostiam N.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. Quamvis id coram imperito vulgo occasio posset esse scandali, tamen reipsa et coram Theologis scandalosum non est; cum hæc propositio nihil aliud sonet, ac non esse revelatum a Deo, hanc hostiam esse vere consecratam. Unde nec esset absolute martyr; qui pro hujus propositionis veritate moreretur.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. Et præceptum illud et actum fidei esse absolutum relate ad existentiam Christi sub hostia vere consecrata, implicite conditionatum autem relate ad hanc numero hostiam.

Inst. 6. Hostia, quæ ita probabiliter est consecrata, ut non detur motivum positivum prudens de opposito, est absolute adoranda; ergo etiam absolute credi potest Christi ibidem præsentia; tum quia adoratio æque exhibetur in obsequium divinum, ac actus fidei: tum quia ut hostia possit absolute adorari, debet prius absolute credi, sub illa dari objectum adoratione dignum.

R. C. A. Quamvis enim adoratio hæc a quibusdam dicatur præsuppositive conditionata, quatenus nempe præsupponit cognitionem, qua prudenter judicat esse hostiam vere consecratam et adesse Christum; non est tamen formaliter aut terminative conditionata, quasi diceret: adoro te Christe, si forte es sub his speciebus. N. Cons. Disparitas est, quia adoratio est actus virtutis moralis atque ad voluntatem pertinens, ac consequenter remote fundari potest in iudicio solum probabili, ut proxime dictum fuit; de quo tamen ulterius advertit, iudicio huic in præsentem casu nec positivum nec negativum dubium adjungi; quia nec rationes in contrarium æquales illis quæ adsunt pro vera consecratione, nec etiam nullas rationes pro utraque parte habemus; potest nihilominus *levis* quædam *formido* ex eo oriri, quod possibile sit hostiam non esse vere consecratam, vel ex defectu legitimæ ordinationis vel intentionis in Sacerdote; quæ tamen si prudenter impedire possent adorationem, omnes hostiæ ea carerent. His adde, quod, supposito etiam defectu consecrationis reipsa factæ, non committatur *idololatria* saltem *formalis*; quia non adoramus hic objectum, quodcumque ibi fuerit, sed ea refertur in Christum: unde licet intellectus invincibiliter erret iudicando ibidem existentiam Christi, non errat tamen voluntas, quæ in solum Christum tendit, quem, quia iudicatur ibi contineri, honestum decernit adorari.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. D. Æque, h. e. uterque actus exhibetur in obsequium divinum C. Æque, h. e. eodem modo N. Diversissimum autem modum tendendi in actu fidei supernaturalis hactenus satis indicavimus, eundem uberius infra declaraturi.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. Ass. Nequidem enim certum iudicium speculativum in hoc et aliis virtutum moralium actibus requiri; similiter dictum est supra.

## ARTICULUS III.

## AN VERITAS VIRTUALITER SOLUM AC MEDIATE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI.

69. Nota I. Pro ratione continentiæ unius prædicati vel propositionis in alio, dicitur aliquid *formaliter* vel *virtualiter* revelatum: si aliquid sit formaliter idem cum altero, uno revelato etiam aliud dicitur formaliter revelari; virtualiter vero dicitur revelari aliquid in alio, si quid tantum realiter idem est cum altero formaliter revelato, cujusmodi sunt proprietates etiam metaphysiæ respectu essentiæ. Sicut vero formalis revelatio solet dici immediata, sic etiam virtualis dicitur mediata; quæ quidem duplex est, scilicet vel *mediata* ex parte *subjecti*, ubi Deus non immediate per seipsum sed per Prophetas et Apostolos aliquid revelavit; quam tamen hic non usurpamus: vel *mediata* ex parte *objecti*, ubi aliquid nec in se ipso formaliter etiam continetur in alio explicite revelato; sed tantum continetur virtualiter in alio tanquam in causa et radice, aut cum eo sic connectitur, ut per legitimam consequentiam ex eo necessario deducatur.

70. Nota II. Licet cognitio divina non possit esse præcisiva, adeoque Deus cognoscendo alicujus rei essentiam etiam debeat cognoscere illius proprietates; revelatio tamen divina saltem externa potest esse *præcisiva*, adeoque Deus ad extra potest revelare essentiam, quin revelet ejus proprietatem metaphysicam aut physicam. Ratio utriusque est, quia Deus in cognoscendo est *necessarius*; unde quidquid est cognoscibile ratione suæ omniscientiæ cognoscere debet: in revelando autem est *liber*, atque ad revelationem utitur signis creatis aut vocibus secundum liberam institutionem manifestativis; quæ cum exprimant unam formalitatem, quin aliam etiam realiter identificatam manifestent, etiam Deus potest unam sine altera revelare. Præterea etiam, cum revelatio non sit manifestatio quæcumque, sed talis, quæ interposita loquentis auctoritate tendit ad notitiam alicujus rei dandam audienti; sequitur, voces et signa ex se posse audientem deducere in cognitionem ejusdem objecti, quin tamen illud proprie ac testando a loquente revelatum sit, ac consequenter credibile.

71. Dico. Veritas virtualiter duntaxat et mediate in altero explicite revelato contenta, non est objectum materiale fidei.

Prob. Quod non creditur aut credi potest tantum vi loquentis Dei ac revelationis, non est objectum materiale fidei; quia formalis tendentia actus fidei est hæc: Credo hoc, quia Deus dixit seu revelavit: sed veritas *virtualiter* duntaxat et *mediate* in altero explicite revelato contenta sic non creditur nec credi potest; nam actus fidei, quo crederem v. g. risibilitatem Christi, eo quod humanitas Christi revelata fuit, *imprimis* non potest habere hanc tendentiam: Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit eum esse hominem; ut patet ex ipsis terminis, eo quod sic non importetur motivum fidei efficiens objectum materiale seu risibilitatem: *Deinde* neque istam: